Vitellius Jacobi: Votum nuptiale Seren. Principi et D. D. Renatae Caeciliae dedicatum 1637.

VOTVM NVPTIALE:

Serenissimę Principi & Dñæ, D.

RENATÆ CÆCILIĘ,

Dei Gr: Archiducissæ Austriæ, Ducissæ Burgundiæ, Styriæ, Carynthiæ, Carniolæ, Vittembergæ,

COMITISSÆ TYROLIS.

Serenissimi & Potentissimi Regis Poloniæ & Sueciæ. &c. &c.

D. VLADISLAI IV.

SPONSÆ.

Vienna Crac. Pompa Regali venienti

DEDICATVM.

Humili Officio

Per R. IACOBVM VITELLIVM, Eccle: S. ANNÆ CANONICVM, in Acad. Crac. Regium, interea Tylicianum Eloquent. Professorem.



ORATIO.

POST Ordinum & Statuũ Regni hilares acclamationes, Musarum & Gratiarum Sereniſs. Maieſtati Vræ in Poloniam venienti, occurrunt cætus. Scilicet homines conditione Sacerdotes, profeſſione Academici, togata Sereniſs. Regũ, maximè vero Vladiſlai II & IV. clientela: Reginalem Maieſtatem Vram, vt Auſtriæ Heroinam ſplendidè, vt Poloniæ Auguſtam magnificè, vt Inuictiſſimi Regis Polonorũ Vladiſlai IV. Sponſam; Regaliter aduentãtem, veneramur. Non aliam decuit Triumphatori Regi, hoſtibus perdomitis, & omnibus à Boryſthene ad Iſtrum, ab hoc, ad mare Balthicum pacatis; quàm ex Do-

 mo Impe-

mo Imperatrice, deligi Sponſam, tantæ Maieſtatis & fortunæ capacē. Auſpicata hęc Poloniæ celebritas, qua Regum potentiſſimorum animi, Regnorum latè dominantiū fœdera, nationum bellicoſarum conſenſus, fœdere vinciuntur ſacroſancto. Vt enim hactenus rebus ad voluntatem noſtram fluentibus ſecundo gauderemus euentu, pace reddita publica, tranquillitate & otiō domeſtico reuocato, limitaneis ſublatis periculis: tamen in vnius Maieſtatis ſalute (etiamſi immortalem cuperemus) vitam & fortunam cōmunem collocare, vt humana incerta ſunt omnia, non ſine formidine videbatur. Nunc vero vbi conſors eiuſdem Maieſt: feliciter aduenis, iucunda poſteritatis memoriâ Regnū hoc Ampliſs. ita recreatur, vt in certam ſpem veniat victuram perennem in poſteritate feliciſſima Victorioſiſſimi Regis recordationem, danda pignora, & obſides fideliſſimos, ſalutis cōmunis retinendæ, & propagandæ. Hanc idcirco

in Veſtra

in Vestra Maiestate Regni fortunam veneramur, cùm Augustam & Dominam suam, totus propè Septemtrio habiturus est. Maiestatis istam Amplitudinem illi ipsi felicē, Ecclesiæ salutarem, Regno beneficam, populis subiectis auxiliarem vouemus & precamur. Et mehercule iam à Maiest: V. luce Serenifs. magna nobis oboritur felicitatis futuræ fiducia, cùm ab eo venis loco, in quo salutem orbis Christiani inclusit Deus: ab ea Domo, vnde religio firmamentum & protectionē, populi Christiani perfugium & præsidium: omnes vero in dubijs rebus spem, in afflictis consiliū, in perditis recipiunt defensionem. Tantùm ab hoc vultu gratiæ, tantùm Maiestatis effunditur; vt iam Veneranda Mater Patriæ in Vrbe Regni Principe, honorificentissimis Ordinum omnium studijs saluteris. Cùm vero olim id honoris Augustæ habuissent, vt illas quādoq; sacrat⁹ ignis præiret, diuini-

 tatis cu-

tatis cuiuſdam cum principibus cõmunicatæ indicium; Nos vbi feliciſſima Sponſa Regis glorioſiſſimi aduenit, feliciſſimo hoc connubio, cæleſtem ignem, diuinum afflatum, apprecamur. Vt tædæ iugales iſtinc incenſæ, pari ſideribus æternis colluceant ſplendore: vt ille ipſe præeat benignitate, cuius prouidentia & ordinatione, nexus iſte coaleſcit nuptialis.

Quapropter dum omnes Ordines Magni Regis optatiſſimam Sponſam hilari accipiunt acclamatione, celebri proſequuntur vbiq; plauſu: Nos Maieſtati Vræ, & Regno, inſuper toti Chriſtianitati, fortunatam gratulamur ſublimitatem, & diuturnam vouemus. Quæ dictio, non tàm facultate noſtra; quàm Maieſtate Vra. ſubnixa, ne taciturnitatis inuidia offenderet, maluit parùm diſerta, quàm ingrata, atq; in Reginalis Maieſtatis aduentu inhoſpitalis accuſari.

Atque illud inprimis eſt quod nobis iure

lætandum,& M. V. feliciter optandum videatur, quod ei Regi, duceris Sponſa, qui veterum Regum,non adæquauit ſolùm gloriam, ſed etiam ſuperauit. Cuius ſi naturā ſpectes benigniſſimus,ſi conſilium prudentiſſimus, ſi authoritatem grauiſſimus, ſi victorias,laudatiſſimus. Magnum eſt ſanctiſſima Iagellonum editum ſtirpe, quæ iam ducentos amplius in Polonia regnat annos: & ita regnat, vt exteris etiam deeſſet nunquam, vnde exempla felicitatis domeſticæ inducendæ peterentur, & ſtabiliendæ. Sed longè illud auguſtius eſt, quod idem ille propè dies, quo in lucem editus feliciſſimè, & hominem,& Regem vidit. Ita enim concinebant fata, ita Diuina reſpondebant oracula, ita certis quibuſdam homines conſequebantur argumentis, inuſitatum quiddam ad felicitatem, illuſtre ad gloriam, in tenello Principe, in quo Heroicum patris infuſum eſſet robur, patriæ oſtentari.

ſtentari. Neque fruſtra erant qui in populo non vanis differebantur ſermones rumoribus. Namque cúm perduelles olim Moſchi Pſeudoprincipum ſuorum damnoſis luderentur præſtigijs, interea & ſuiſmet inter ſe, & noſtrorum attererentur armis: vt aliquando à cōtinuis illis conquieſcere poſſent ærumnis, Sereniſs. in Magnum Ducem Regno ſuo popoſcerunt: cùm viderent ante ætatem in iuuene admodum, Regales virtutes. Sed nimirum diuinitùs hæc eorum tardabantur deſideria; Maieſtat: Veſtræ, vt futuræ Sponſæ, & Regni bona fata, eam differebant poſtulationem: quæ ſi conſecuta fuiſſet Regnum tali Rege, Maieſtas V. hoc victorioſiſſimo Sponſo erat caritura. Cùm itaque Regnum Poloniæ, & victoriæ Moſchorum cælitus Sereniſſ. ordinarentur, vt Polonia haberet, cuius felicitate & conſiliis temeritatem Moſchorum caſtigaret, vt idem eſſet Rex Polonorum & Moſchorum ſe-

rum felix perdomitor; non humanis consi-
silijs, sed Diuinis decretis factum est, vt ne
Mosci quod ambitiosè & solicitè poscerēt:
obtinerent. Postmodum vbi ægrè ætatis
paruæ tyrocinia deposuisset: adolescenti-
am à pueritia vltima, ingressus triumphalē.
Osmanus crudelis Turcarū Tyrannus, pri-
ma Regis victoriosissimi ex triumpho ado-
rea: qui Termini Patrij sacram temerans
religionem, infestis se iam propè in Regnū
infuderat agminibus. Auspicijs itaq; Paren-
tis sui Serenifs. interea rerum potientis in
Regno, exultantem barbarum ita fregit &
repressit Rex Serenissimus, vt velut ex ma-
gno naufragio, laceras vix, & truncatas do-
mum, hostis cum ludibrio reduceret cohor
tes. Hic primus honorum maximorū gra-
dus, hac primum victrice laurea, iuuenile
exornauit caput, in primis annis, vltra æta-
tem, iam sceptro, iam Regno maturus.
Quid ni feliciter tempore consequente cla-
uum orbis Sarmatici erat tractaturus, cuius

 vela ad-

vela admodùm iuuenis, tàm ſecundis omni æuo memorandæ victoriæ impleuerat Zephyris? Ab hoc itaq; tempore, non magis patriæ, glorioſiſſimo trophæo, & ſpolijs barbarorum meruit, quàm pro V. Maieſtate Reginali mereri incepit: vt ad Domũ victricem Auſtriacam, non niſi victor triumphator ingrederetur, atq; faſces laureatos, cum triumphalibus Imperij faſcibus ſacratiſſimo vinciret nexu. Ab eo ipſo laudatiſſimo triumpho, Reginali V. M. *Candidus fauſtum, ſternuit omen Amor.* Talem Spõſum Sereniſs. M. V. deſignarunt cæleſtia fata, & huc vſq; ſacra diſtulerunt marita, vt redderent longè diuiniora.

Quid porro victa Moſchouia, & vno Sereniſs. aduentu ſuismet euerſa machinationibus, an non felicitati M. V. adſcribet, eius glorię victrices palmas, cõmunicari cum Maieſtate V. & quicquid ſit laude quæſitũ militari, in Conſortẽ victorioſiſſimi magna parte redundare triumphatoris? Quocirca dum Mo-

dum Moſchi clementiam, & manſuetudi-
nem in ſumma poteſtate rerum, Victores
ſui prædicabunt: etiam Maieſt: V. attollēt
fortunam, quæ Septemtrioni ſubacto Do-
mina deſignaris, quorum populorum feli-
citas, incolumitas, V. Maieſt: apud Sac: Re-
giam Maieſt: benignitate diſponenda. De-
ponent vel nunc feritatem, atque occultis
deſiſtent contra patriam molitionibus, vbi
intellexerint, poſſe ius ſuum, cauſas ſuas, fe-
liciùs, tanto apud ſupremam Maieſt: patro-
cinio foueri. Et cùm formidine victis in-
ſita, & authoritate Maieſtatis ſuprema re-
tardabūtur, Maieſtat: V. Regno opponent
caritatē, pignora conteſtabuntur ſperan-
da, V. Maieſtat. ſe ſuſtentabunt clemen-
tia, quæ affabiliter vt Mater, manſuetè vt
Heroina, clementer vt Reginalis Maieſtas
omnes ſit habitura. Atq; cùm illis olim tan-
tos armorum erat iniectus terror, vt ſatis e-
rat hoſti arma oſtentaſſe; ita nunc ad erigē-
dos eorum ex calamitate animos, ſatis erit,

 vel Re-

vel Reginalis Maiestatis perfugio, & patrocinio sustentari. Extollant ergo quantumuis maximo præconio, Italia suos fulmina belli Scipiones, Gręcia Pyrrhum celeritate vincendi Aquilam dictum, Mithridatē Asia, Alexandrum Macedonia: Polonia habet, quem summis quibusq; cōparet bellatoribus. Qui Regnū hostibus vndiquaq; paulò circumsessum acerrimis, quorum alij etiam intra viscera hærerent Regni, ita pacauit, ita frenos feritati iniecit Asiaticæ, ita ambitionem & iactantiam Suecorum consiliis suis elusit: vt sine vi, sine cæde, & sanguine, limitibus nostris alij, alij præsidiis, quæ satis operose munierāt, excederent firmissimis. Tantorum itaque bonorum, quæ tot victorijs Regno sunt per Maiestatem Regiam comparata, venit particeps & socia: pace reddita, armorum tempestate consilescen̄te: Maiestas Vestra quasi cælitus demissa Dea, velut altera sapientissimo Salomoni cantata *Sulamitis* pacifica: cuius fidelitati san-

ti, sanctum Familiæ Regalis, & à Deo benedicendum mandaretur genus. Nunc Maiestati V. pro militari Pyrricha, gestientes populorum occurrunt cætus, festo cantu, plausu publico, & cõmuni excipiunt venientem gratulatione. Nam si Constantini filio Sponso nouo acclamatum est aliquando: χαῖρε νυμφίε, χαῖρε νέον φῶς, *Salue sponse, salue nouum lumen.* Nunc cùm Cęsarum sacratissimorum proneptis, filia, & soror, adhęc Sponsa Serenissimi Regis venit: quamobrem non longè conuenientiore gratulatione vniuersi acclament Ordines: Salue Potentissimi Regis Polonorum Sponsa: Salue nouum Regni Sarmatici lumen. Tantúm enim ex hoc vultu gratiæ, tantùm Maiestatis effunditur, vt noua lux Poloniæ, nouus splendor Regno vniuerso exortus esse videatur.

Hic ego quid prædicem Maiestatis Vræ felicitatem? quid triumphum verbis extollam? quæ triumphatorem toto orbe cele-

bratissimum, nobili ducit in triumpho? Ille de hostibus animosè, Maiest: V. de eodem ipso ducit triumphum gloriosè. Virtutes Maiest: V. Regali throno dignissimæ, cùm Regni oculos in Maiestat: V. admiratione defixerunt; tum Serenissimi animum hostibus inuictum, fortiter superarunt. Nec sine causa quidē: Etenim si antiquitas propter præcellentes dotes, aliquas in admiratione habuit Heroinas, longè istis omnibus Maiestas V. antecellit: Cui & Aspasiæ modestia, & Liuiæ prudentia, Lucretiæ verecundia, Portiæ constantia; tanquam vmbra soli, tanquam fabula veritati, tanquam priuata publicis facilè palmam concedunt. atq; hanc fulgentissimam fortunæ dignitatem in Maiestate V. venerantur. Tum ipsa Caia Cæcilia quam rara inter matronas virtus, ita sæculorum memoriæ, vt reuelli non facilè possit, infixit; ipsa inquam illa C. Cæcilia, & nomini, & splendori Maiestat: V. vt inferior laude & existimatione, concedit.

cõcedit. Eius enim virtutes, vnius domus, & priuatæ quidem fuerunt: Maiest: V. publico bono diuinitus datæ, in eum finem, vt essent subditis suis, & prouincijs salutares. Proinde cum omnium bonorũ largitor & effector DEVS, ita animũ M. V. bonis omnibus compleuit & refersit, vt esset quasi thesaurus, in quo pietas, pudor, modestia, cæteræq; virtutes mirificè resplendent; Eam ob causam Serenissimus REX, Maiest: V. in Sponsam sibi delegit, & Regnũ Vniuersum suffragijs approbauit. Plus in V. Maiestate virtus potuit ad conciliandum Regalis Maiestatis animum, quam sanguis auorum. Verum Maiestas sua non spectauit tantum genus, licèt sit in terris cælo proximum, non fortunas genere & conditione luculentas: sed virtutes, quibus Vestra excellit Maiestas. Idcirco talem & tantum Sponsum, indoles summa, prudentia rara, conciliarunt. Et queãdmodũ Sacra

Regia

Regia Maieſtas Regnum non niſi à Deo habet; ita Conſortem tantam, altiſſimæ in terris fortunæ, non niſi à Deo. Cur enim aliunde arbitremur, eam animorum & ſtudiorum, inter Sponſos Sereniſsimos coaluiſſe cõſenſionem, quam ſacer Senatus tanquam interpres mentis diuinæ iuſſit, ad quam Vniuerſi Ordines, concordibus conſpirarunt votis? Quid illæ ſententiæ graues, non ex triuio arreptæ, ſed ex ſapientiſſimo Senatusconſulto, tanquam Deorum cætu delectæ, quid inquam agerent? quid vellent concorditer? niſi à Deo cælitus pro V. Maieſt: fuiſſent deriuatæ. Multæ ſibi Principes puellæ, Regni Poloniæ thronum optauere: multę eam dominandi appetierunt felicitatem; Maieſtas V. maiore præ alijs felicitate, quia maiore hac in parte Dei benignitate. Flexit aliquando Sapientiſſimi bellatoris Vlyſſis oculos & animum Nauſicaa Phæacum Regis filia. & ita flexit, vt ſpecie eius tanquam diuino fulgore præſtrictus

ſtrictus, Deam an hominem appellaret, neſciret. Deam oportere eſſe non vulgarem, non quālibet ex Nymphis Naiadibus, Oreadibus, ſed Iouis filiæ Diannæ conſimilē. Si mortalis ſit, feliciſſimos eius parentes, cognatos feliciſſimos prædicat, quibus datū ſit, tàm elegantem præſtantemq; Virginem intueri: feliciſſimum Spōſum, in cuius futura ſit connubio beato.

Τρισ μακαρεσ μεν σοιγε πατὴρ καὶ πότνια μητηρ
Τρισ μακαρεσ δε κασιγνητοι μαλα πυ σφισι θυμοσ
Αιευ ευφροσυνῃσιν ιαινεται εινεκα σειο.

Ter beati tui, pater & veneranda mater,
Ter beati fratres, valde enim ipſorum animus,
Semper lætitia perfunditur tui gratia.

Hanc idcirco palmæ perſimilem ait, quam pulchrè ſuccreſcentem vidiſſet, in Delo ad aram Apollinis:

Δηλω δή ποτε τοιον Απολλωνος παρα βωμῷ
Φοινικος νεον ορυος, ανερχομενον ενοησα.

Nuper in Delo tale Apollinis iuxta aram
Palmæ recens germen, ſuccreſcens vidi.

Si Nauſicaam ſurculo palmari apud Del-

 phicam

phicam aram ſuccreſcenti conſimilem prudentiſſimus Vlyſſes appellat: quamobrem Maieſt: V. non longè diuiniorem dicamus ſurculum Sereniſs: Domus Auſtriacæ, quæ pluſquàm in magnam arborem principibus fæcundam ſit propaganda? Illius inquam Domus ſurculũ, quæ pluſquàm Delos, vno Apolline & Dianna orbi cognita, tot Imperatoribus, tot laureis, tot victorijs nobilitata, & religione ſanctiſſima tuenda, ita per vniuerſum diſſeminata orbem, vt ſola iam ſit, vnde Reges & Principes, in orbem terrarum petantur. Ad hanc itaq; veluti aram Chriſtianitatis ſanctiſſimam, Maieſtas V. nata & educata, longè Nauſicaa Alcinoi antecellit, ita hoc ſurculo palmari, Auguſtam familiæ exprimit Maieſtatem, Gratijs omnibus amabilem, hominibus admirandam. Vnde cùm mores M. V. ſacroſancti, ad hanc quaſi ad aram cæleſtem formati & inſtituti, pudoris, ſanctimoniæ, mira quadam, incredibiliq; obſeruantia atq; cultu; ex

tu; ex hoc consecutum, vt Maiest: V. insignis fama virtutum, non vanis rumoribus ad aures Sereniss: Maiestatis, atq; Regni totius peruenit, & Sponsam Serenissimo & Potentiss. Poloniæ Regi destinauit. Cui satis placuit Maiestas V. cúm electa est: Atq; istam sibi quam M. V· nunc est nacta beatitatem; multi Principes, multæ expetierunt Heroinæ. Magnum enim Maiestatis nomen, magnum in terris hominibus præesse, illustre in partem Regni venire, atque summis honorari subiectorum officijs populorum. Maiestas autem V. Dei voluntate, authoritate Senatus sapientissimi, concordi Ordinum omnium decreto, delecta & designata, Regis Sponsa, spes totius Regni. Quám splendida hæc Maiest: V. ad Regem Sponsum deductio. Flos totius Regni, lumina Reipub: delecta, quę in Poloniam venienti, magnifico apparatu, ornatissimo comitatu, quasi faces præferrent nuptiales, Sereniss. Princeps Poloniæ & Sueciæ *Casimirus* delectus, qui Maiestatem V.

 Serenis-

Sereniſſimi nomine, in Sponſam poſceret, atque Regali cultu in Poloniam deduceret. Vt verò omnium Ordinum Maieſt: V. aduentus celebraretur affectu, & frequentia, ex Senatu grauiſſimo deſignati Illuſtriſſ. & R̄diſſ. Dn̄us IOANNES LIPSKI Epiſcopus Culmen. ſplendor Ordinis Senatorij, vir literarum cultu perpolitus magnopere, exiſtimatione, virtute, nobilitate facilè Princeps. Illuſtriſſ. Dn̄s GASPAR DINHOFF Palatin: Siradiæ, multorum in Aula & Repub. meritorum. Præſtò etiam eſt Illuſtriſſ. D. Chriſtophorus SVLOWSKI Caſtell: Zarnouien. vir cùm authoritate graui, & iudicio maturo, tum ſententia pro publico bono dicenda probatiſſimus. Adiunt ſplendidiſſimi quiq; ex Ordine Equeſtri, publicis Regni officijs inſignes, qui magnifico apparatu, cultu viſendo, Maieſtati V. præſtant in comitatu officium. Omnibus locis denſatur magna frequentia, & feſto plauſu populus, qui Regalem V. purpuram acclamatione

tione læta veneratur. Hæc vrbs Regni Metropolis Crac: quàm feliciter ingreditur, magna ex Maiestatis V. felicitate perfunditur lætitia, & honorificentissimis aduentantem prosequitur officijs. Videt & intelligit bono fato V. Reginalem Maiestatem sibi cælitus impertitam. Eius itaq; congratulatur sublimitati, diuturnamque, & omnibus bonis florentissimam exoptat.

Quamobrem itaque non summis officijs Maiestati V. gratulemur, quod Victoriosissimo & sapientissimo Regi Sponsa ducitur: quod grauissimo sacri senatus suffragio designata, quod honorificentissimo Senatorij & Equestris Ordinis hominum comitatu, Mater & Dña patriæ futura diceris? Vt primum sit raræ cuiusdam felicitatis, alterum cælestis diuinitatis, postremũ inusitatæ dignitatis officium.

Verùm hæc felicitas ita in Maiestate V. sita est, vt etiam ab istis principijs in Regnũ redundet luculẽter. Quid enim interea potuit Re-

tuit Regno nostro, vel ad gloriam nobilius, vel certius ad salutē contingere; quàm quod ad veterem Poloniæ & Austriæ necessitudinem, etiam accessit pignus summorum nominū coniunctione venerabile, vt Sereniss. Regi Poloniæ VLADISLAO IV. Sacratissimus Imperator Romanus FERDINANDVS III. Sororem suam collocarit in Sponsam? Cuius Maiestati etiam hoc magnopere accedit ad gloriā, Poloniæ veró ad illustre ornamentum, quod Sereniss. LEOPOLDVS WILHELMVS Archidux Austriæ, Maiestat: Cæsareæ frater, Episc: Passauiæ & Argent: Princeps de Ecclesia meritissimus, Sororis suæ splendido cohonestauit comitatum apparatu. Neq; hoc solúm, sed cælestem etiam impertiit, cum omnibus votis benedictionem. vt quondam fratres *Rebeccæ*, ad sponsum iter adornanti: *Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Quid Serenissimus Rex, aut carius accipere, aut Sacratissimus

ſimus Imperator carius dare potuit? Sereniſſimo noſtro Sponſa venit, Filia FERDINANDI II. eius Imperatoris, qui tot annos populorum ſalutem, Eccleſię immunitatē, contra hoſtes acerrimè propugnauit? Atq; hoc ea pietate & Maieſtate, qua maior haberi non poterat: cùm cauſam Dei ageret apud homines, hominum apud Deum. Eius itaq; Sacratiſſimi Imperatoris Filia, in Spōſam Triūphatori Regi ducitur: & quidē talis Sponſa; quæ par ſit, & Patris Magnitudini, & Auſtriacæ Maieſtati. Sed cùm Sacratiſſimum FERDINANDVM II. cælū ſibi poſt inſignes pro Deo, & Eccleſia labores vindicaſſet: nunc rerum potitur Sacratiſſimus FERDINANDVS III. ad extinguendas veteris belli reliquias, & Chriſtianitati perturbatæ reuocandam tranquillitatem feliciter á Deo ſublimatus Imperio Romano. Hic itaq; in magnam rerum magnarū Chriſtianitati efficiendarum ſpem, à Deo delectus Imperator, Sororem ſuam, quaſi Diuinum

pignus

pignus, animi cum Polonia perpetuó consentientis, Regi Sereniss. in Sponsam collocat. Magna idcircò hinc, & luculenta spes firmandi Regni nostri ostenditur, sub hoc tempus, quo occultis in nos hostes limitanei conspirant machinationibus, cum Domo Austriaca connubiali nexu, non solùm dextras sociari, sed etiam animos, & studia, & multa officia, arctius coalescere & propagari. Sed non minor pacãdæ Christianitati, & diuturnis sedandis bellis porrigitur spes hoc Augustissimo cõnubio. Nam si Christianitas vniuersa Sereniss. Regẽ Poloniæ ex omni Europa vnũ prouidit, cui publicę pacis in Imperio constituendę, & odiis inter Christianos Principes extinguendis cõmitteret potestatem: Et iam sapientissimi & disertissimi Proceres Polonię designati, qui tot reficiendis Germaniæ damnis, & quasi veteribus curandis vulneribus animos admouerent: qui hoc prudentibus consilijs & potestate efficerent dicendi, quod vi, at-

que tam

que tam diuturnis prælijs effici non potuiſſet. Quid expectandum, vbi Sereniſſ. Regem, non ſolum publica inducet pacis neceſſitas animorum partis vtriuſque conciliandorum; ſed etiam tam arcta cum Domo Auſtriaca euincet neceſſitudo. Hinc fama eſt, alteram partem non nimis iam cauſæ & armis fidere ſuis: Alterius cuiuſpiã connubij, quo res eorum firmarentur magis optauiſſe euentum, non vtilitatis cõmunis cauſa, ſed ſuæ ſeceſſionis gratia. Qui poſtquã non diuina voluntate, non Eccleſiæ authoritate ſancta, non Senatus prudẽtiſſimi cõſilijs, ſed ſuo rem metiuntur arbitrio: quod eorum cogitatis ad fortunam ſtabiliendam videatur, id omnibus debere videri neceſſarium putant. Quid igitur? num os eorũ quo locuti ſunt vana, num os Domini verax, quod interrogatum eſt præualebit? Diuina præualebunt in vtraq; Maieſtate ſocianda reſpõſa. Cuſtodiet Dominus Sereniſſimos Sponſos, vt pupillã oculi ſui: Pupilla oculi

Dei est Christus, cùm sit Filius Dei. Hos itaq; quos ad regnũ vocauit, quos ad thronum Regalem vnxit & sublimauit, quibus partem regendorum in terris populorum cõmunicauit: eos inquam, custodiet tanquã oculi sui pupillam. Atq; istius diuinæ protectionis, vel hoc non leue sit documentũ. quod semper rerum magnarum pro Christianitate gestarum, Maiestatẽ Domus Sacratissima Austriaca, sustinet sustinuitq; cõstanter: semper Imperij Romani dignitatẽ & incolumitatem vita sua potiorem duxit. Confertissimi sunt rerum ab Austriacis gloriosè gestarum libri: plenæ sapientum voces, quibus præsidijs contra hostem Imperium essent tutati prolixè. Atque ex vetustissima memoria *Marchiones* primo quasi Limitanei dicti, quòd eorum virtute & gloria bellica, hostiles impetus ab Imperio arcerẽtur. Præit ille gloriosissimè I. Austriæ Marchio LEOPOLDVS cognomento ILLVSTRIS, à quo ceu fonte omniũ bonorũ vberrimo,

rimo, in Christianitatem cælestis hæc dimauauit familia. Inde ALBEERTI victoriosi ERNESTI strenui, *Leopoldi* Pij, quasi Heroes quidam, & Semones admirandi, vsq; ad HENRICVM II. Archiducem Austriæ, hominem incredibilis in Deum pietatis, & sanctimoniæ, qui ITA ME DEVS AMET appellatus, quod dictum istud frequentissimum & vsitatissimum haberet. Hic vt se natum ad fortia quæq; sustinenda posteritati testaretur: adiutorem se omnium periculorum, & consiliorum fortissimis Regibus Gallorũ CONRADO & LVDOVICO, ad terram sanctam præbuit; vbi præclarissima rerum magnarũ contra hostem iacta fundamenta: nisi dolus Imperatoris Orientalis interea Manuelis omnia dissipasset. Nulla conticescet ætas, laudatissimos illius fratres, Fridericum I. CATHOLICVM dictũ & LEOPOLDVM VII. GLORIOSVM appellatum, quorum prior in Hispania, cum Mauris feliciter conflixit, etiam Hierosolymis in vin-

 dican-

dicanda, ex crudelitate hoſtili terra ſancta, inſignia virtutum Heroicarum reliquit trophæa. Alter vero *Leopoldus*, *Emericum* Regem Hungariæ infeſtis agminibus Auſtriā populātem, virtute & gloria bellica repreſſit, atq; coercuit. Tantis meritis ſublimē, cùm vidiſſet Domum Auſtriacam FRIDERICVS II. Imperator, eandem fauſtiſſimo quodam omine mirum in modum auxit, extulit, āpliſſimis dignitatibus ornauit. Quodque illi ad omnem foret glorioſum immortalitatem: *Auſtriam cor ac clypeum Romani Imperij appellauit.* Quaſi Diuino quodā præſagiret oraculo, ex hac ſacratiſſima Domo, multos prodituros Romanorum Imperatores. Sed neq; tantum clypeum dixiſſet, etiam lumen clariſſimum cęleſtis in Deum pietatis & religionis ſanctę tuendę: quod declarauit LEOPOLDVS VII. PATER CLERI appellatus, quia Clerum mirum in modū eſſet veneratus, & tēpla collapſa reficeret. Ita propago hæc feliciſſima, continuatione

ſtirpis

ſtirpis glorioſæ, ad Comites vſq; Habſpurgēſes deducta. Primus hinc RVDOLPHVS *Comes Habſpurgen.* Archidux Auſtriæ, Romanorū Imperator, Religionis ſanctæ cultor admirandus: qui vbi fortuitò ſacerdotem cum hoſtia ſacra peditem ire aduertiſſet: deſcendendum ſibi ex equo ratus, vt Dominus ſuus, ſpeciebus panis velatus equo veheretur. Oblitus interea ſe eſſe Comitem, vt ſuum tanta ſubmiſſione veneraretur Saluatorem: equo eum ſuſtulit, à quo ad Imperatoriā Maieſtatē ſciret ſe promouendum. Conſulari apud Romanos id tributum erat dignitati, vt nemo prætereunte Conſule, equo veheretur: quam dignitatis tuitionem etiam Manlius pater in filio collaudauit; cùm filius Conſulari præciperet authoritate, vt pater cederet, Conſularium faſciū Maieſtati. Honori itaq; duxit ſuo pater, quòd ſciret ſe filius Conſulē eſſe, paterna maiorē poteſtate. Archidux autem officioſiſſimus & religioſiſſimus in Deum,

 non du-

nō duceret suæ felicitati; quod homo, Deo; mortalis immortali inter homines versanti, equo & sella cederet equestri? Equidem cessit, & freno ita equum duxit, vt videretur postremo etiam munere, apud Prncipem defungi cælestem. Magnam hinc arbitratus suam fortunam, quod vel illo exiguo officio, Regem cælestem sibi, & suæ promereretur posteritati. Eius pietatis gratia, Imperator Romanus certa quadam designatus præsagitione, cùm tantam & tam inusitatam pietatem, insigni quodam & inusitato oportuit præmio pensari. Neq; verò vni sibi duntaxat hoc facinore admirando, fauorem meruit Diuinum, sed vniuersę Austrię, ita cęlestem obligauit benignitatem, vt Diuinis Patronis suis compluribus, inter tantos fluctus & procellas armorum, ita muniatur, vt nullus impetus, nulla quantumuis maxima, & diuturna hostium feritas, possit quicquam de veteri Austriæ dignitate diminuere.

Eius tuendæ gratia excubias ſanctas agunt S. QVIRINVS Archiepiſc: Laureaci Patriarcha Aquileienſis Apoſtolus Auſtriacus S. MAXIMILIANVS Epiſc: Laureaci & Martyr. S. SEVERINVS ſecundus Auſtriæ Apoſtolus. S. COLOMANVS Martyr. S. LEOPOLDVS Pius. His veluti firmamētis validſſimis Auſtria circumſepta, inſultus omnes, & terrores hoſtium eludit, neq; ſolùm eludit, ſed multò glorioſior ab impetitionibus aduerſarijs exſurgit. Porrò iſtos animos, atq; vim aduerſus hoſtes Herculeam, Auguſtiſſ: Domui Auſtriacæ RVDOLPHVS I. non aliunde quàm cælo deduxit: cuius ſpes omnes non humanis auxilijs, ſed cæleſtibus ſalutiferæ crucis præſidijs niterentur. Cùm enim Aquiſgrani Corona Imperiali inſigniēdus eſſet, Principeſque in eius verba iuraturi moram ducerent, quod interea ſceptrum in promptu non haberetur; Cæſar arrepta cruce: *Hoc, inquit, ſignum eſt, in quo redempti ſumus, hoc ego ſceptro, in omnes mihi & Imperio*

infidos

insidos vtar. Quo pacto ita omnes permouit, vt crucem exosculati, iusiurandi fidelitatis Imperatoriæ Maiestati præstādæ, adstringerentur Sacramento. Quantum autem supremo Numini pietas ista Imperatoris religiosissimi accepta esset; signo visendo diuinitus declaratum. Nam cùm Antistes Elector, eius capiti sacro, inter diuina, compararet diadema: eodem illo Coronationis interuallo, Aquisgrani super Ecclesiam B. M. V. auream crucem instar solis cælitus radiantem visam, proditum est. Quæ res etiam ad locupletiorem Christianitatis lætitiam, in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ipsi sanctiss. & purpuratis Patribus magno omnium assensu exposita. Idcircó vbi Deus filij sui triumphali sceptro, quasi gladio ancipiti, pro sacratissima Domo dimicat Austriaca, omnes hostium machinationes, quasi fluctus ad scopulum franguntur & eliduntur. His itaq; maioribus M. V. insignita, his circumfulgens præsidijs cælestibus in

stibus in

ſtibus in Poloniam venit, thori & Throni conſors & ſocia Regalis, diademate ornanda Regio, quam virtutes Heroicæ mirum in modum, tanquam Sereniſſ. Auſtriæ Heroinam, pridem coronaſſent. Quàm iucundũ erit ſpectaculũ in Regni altero Capite fulgentem coronam, Sceptro manum Reginalem ornari, venire in partem Regni, atq; hîc in terris Vicariam quandam regendorũ populorum operam ſubire. Cui muneri tam ſublimi, & hominibus neceſſario, non Hymæneos aliquos, veterum cõmentitios Deaſtros, ſed numen ęternum ſacratis affuſi aris imploramus, vt tantùm fortunet connubium, non ſolùm Regno huic & populis ſubiectis, ſed etiam toti Chriſtianitati. Hoc conſentientibus precamur votis Sereniſſ: Reginali Maieſtati, vt veniat ita Regno Poloniæ, atq; Eccleſiæ felix, quemadmodum aliquando Galliæ Chlotildis Burgunda. Hiſpaniæ Iugundis Franca: Italiæ Theolinda Bauara: qualis Alceſtis Admetæ Theſſalo-

E rumRe.

rum Regi: Hypermestra Lino: ita Sereniss. Renata Cæcilia Austriaca, fortunatissima Regno Poloniæ, & Sereniss. Regi exoriatur. Sit ita Serenissimo grata & amabilis, vt fuit quondam Aspasia Cyro; Liuia Augusto; Plotina Traiano, magnarum virtutum, & admirabilis indolis, Heroinæ. *Sicut sol oriens mundo in altißimis Dei, sic & mulieris bonæ species in ornamentum Domus.*

Quod reliquum est Sereniss. Maiestati V. precamur, vt multis annis feliciter cum Sereniss. Regali Maiest: exactis, felicissimam prolem, spem Regni, memoriam nominis, familiæ Regalis Iagelloniæ ornamenta, hæredes gloriæ paternæ immortales; non solùm vni Regno, sed vniuersæ Christianitati, insuper orbi olim gloriosos triumphis, sicut stellas cæli in firmamento lucentes relinquat.

Sereniſs: verò & Catholicæ Domui Auſtriacæ, Cæſarum, Regum, Archiducum, Ducum fortunatiſs.

GENITRICI.

Hiſpaniarum, Portugaliȩ, Indiarum, Africȩ, Aſiæ, Hungariæ, Bohemiæ, Siciliæ, Burgundiæ, Brabantiæ, Flandriæ,

DOMINATRICI POTENTISSIMÆ.

S. Romanæ Eccl: Vindici & Protectrici.

Turcarum Barbarorum, Hȩreticorum rebellium,

INVICTISSIMÆ TRIVMPHATRICI.

Sapientia, Sanctitate, Clementia, Iuſtitia, Lucidiſſimæ GEMMÆ.

VOVEMVS & PRECAMVR.

OMNEM IN TERRIS BEATITATEM,

IN CÆLO

PALMAS IMMORTALES.

Manus

Manus veſtra in ceruicibus Hoſtium veſtrorum ſit.

In Virtvte Vestra, vt in rota Gyrentur.

Et velut ſtipulæ ante faciem venti Diſſipentur.

IMPENSIS

Ex fundatione perpetua Generoſi D. Bartholomæi Nouodworſki Equitis Meliteñ. &c.

CRACOVIÆ,
In Officina Typ. Matthiæ Andreouieñ.
Anno Dñi. MDC. XXXVII.